

§. III.

Quamdiu duret Exceptio?

- 79** Ad effectum Exceptionis pertinet illius duratio. Ubi pro regula tenendum, Exceptiones esse perpetuas iuxta textum in l. licet §. 1. ff. pactum 6. Cod. h. t. l. parè §. 5. ult. ff. de Doli mali Except. ubi ratio redditur, quod in potestate excipientis non sit, Exceptionem, quando voluerit, opponere, sed agentem, usque dum actionem moveat, expectare teneatur; consequenter inhumanum sit, Exceptionem per lapsum temporis extinguere prius, quam in actum secundum exire valuit. Harpprecht ad pr. Inst. h. t. n. 28. Struv. exercit. 46. th. 13. Miller ibid. Brunnem. ad cit. l. parè §. 5. ult. n. 1. & seqq. Sabellus in Summa
- 80** ff. de Doli mali Except. ubi ratio redditur, quod in potestate excipientis non sit, Exceptionem, quando voluerit, opponere, sed agentem, usque dum actionem moveat, expectare teneatur; consequenter inhumanum sit, Exceptionem per lapsum temporis extinguere prius, quam in actum secundum exire valuit. Harpprecht ad pr. Inst. h. t. n. 28. Struv. exercit. 46. th. 13. Miller ibid. Brunnem. ad cit. l. parè §. 5. ult. n. 1. & seqq. Sabellus in Summa
- 81** ff. exceptio n. 10. qui & alii Aa. communiter hic applicant illud brocardicon: temporalia ad agendum, esse perpetua ad excipiendum; & cum actio doli v. g. biennio duntaxat circumscripta legatur, Exceptionem doli perpetuam esse, confirmant ex d. l. parè §. ult. Hæcque perpetuitas, docente Brunn. ubi supra n. 3. non tantum est juridica, sed etiam naturalis, adeo ut licet 30. & 40. annorum curricula sint præterlapta, nihilominus excipere liceat: quippe cum eadem ratio, quæ suadet perpetuitatem juridicam, naturalem quoque perfuadeat.
- 82** Limitatur tamen superior regula in Exceptionibus, quæ competunt per modum actionis aut implorationis officii Judicis; aut quæ idèd competunt, quia competit & actio; sicuti v. g. est Exceptio non-numerata pecunie, quatenus est privilegiata; Exceptio inofficiosi testamenti; Exceptio restitutionis in integrum: si enim in potestate sit excipientis, Exceptionem, ubi voluerit, per modum actionis proponere, congruum est, ut eò tempore, quò perimitur actio, perimatur etiam Ex-
- ceptio. Rota Rom. in rec. p. 17. dec. 379. n. 11. & seq. Brunn. d. l. n. 4. Miller ad Struv. cit. l. Quod si percontaris, utrum Exceptio cum morte illius, cui competit, extinguatur? Responso ex distinctione Exceptionis realis & personalis, in num. 18. & seq. tradita, erit petenda, quòd scilicet ista cum persona expiret; illa transeat ad hæredes, ac fideiussoribus proficiat. Et quidem in dubio præsumitur Exceptio magis esse realis, quam personalis, nisi conditio personæ dederit originem Exceptioni, sicut est Exceptio competentie; vel illa præcisè in certam personam restricta fuerit, uti est Exceptio pacti personalis arg. l. Juris Gentium 7. §. 8. ff. de Pact. Harpprecht ad §. præterea 2. h. t. n. 11. & seq.
- Si insuper intelligere velis: utrum una Exceptio perimat alteram? Resp. unam Exceptionem per alteram non perimi; ideòque plures Exceptiones v. g. Exceptionem præscriptionis, solutionis, compensationis, jurisjurandi, solutionis, rei judicatae &c. & simul & successivè opponi posse per textum in l. is qui §. 1. nemo 8. ff. h. t. nemo enim, ut dicitur in cap. nullus 20. de R. ff. in 6. pluribus defensionibus uti prohibetur. Nec refert, sintne Exceptiones illæ sibi invicem contrariæ, vel non: nam etiam contrariæ Exceptiones v. g. præscriptio & solutio, possunt cumulari, non quidem absolute & conjunctivè, sed alternativè & distinctivè, ita ut, si in una excipientis deficiat, ad alteram recurrere possit arg. cap. consuetudo 8. de integr. Restit. Perez in Cod. h. t. n. 28. Pirhing h. t. n. 48. Wiestner ib. n. 29. Reiffenstuel ib. n. 96. Conferantur ea, quæ de cumulatione actionum scripta sunt in tract. II. cap. 1. à n. 62.

CAPUT XI.

De Conclusionem in Causa.

Facta in Judicio Probatione, Exceptione, Replicatione, Duplicatione, Triplicatione, Quadruplicatione, priusquam feratur sententia, concluditur in causa, renuntiatur ulterioribus allegationibus, & controversia decisioni Judicis submittitur.

SECTIO I.

De Natura, Divisione, & Necessitate Conclusionis in causa.

SUMMARIUM.

1. Conclusio in causa nomen.
2. Definitio.
3. Est actus iudicis.
4. Quò partes litigantes.
5. Simul aut successivè.
6. Per se vel procuratores.
7. & 8. Ulterioribus probationibus renuntiant.
9. Et causam controversam Judicis decisioni submittunt.
10. Dividitur in tacitam & expressam.
11. & seq. Absolutam & conditionatam.
13. Generalem & Specialem.
14. & seqq. Agitur de necessitate Conclusionis in causa.
17. Potest à Judice partibus imponi.

§. I.

§. I.

Quid sit Conclusio in causa?

- 1** Conclusio in causa est idem ac terminatio controversiæ, quantum ad partes: postquam enim in causa concluderunt, non amplius litigare permittuntur, sed à litibus quietescere jubentur; sicque, quantum ad partes, controversia jam terminata est arg. l. si rem 29. §. ult. ff. de Evict. Gonzalez in cap. pastoralis §. de Causa possess. & propriet. n. 4.
- 2** Definitur, quòd sit actus judicialis, quò partes litigantes ulterioribus probationibus renuntiant, & causam controversam Judicis decisioni submittunt. Germanicè dicitur Beschluß in der Sache.
- 3** Dixi I. actus judicialis. Ratio sic dicendi colligitur ex cap. quoniam 11. de Probat. ubi Conclusio in causa numeratur inter acta Judicii: quia videlicet respicit immediatè Judicium, ac Judicis autoritate perficitur.
- 4** Dixi II. quò partes litigantes. Ut patefacere, non tantum ab uno, sed quolibet in causa concludendum, antequam sententia pronuncietur per cap. iudicantem 11. XXX. q. 5. Ut tamen uterque Reus & Actor, simultaneè concludant, non est opus, sed sufficit, unum post alterum concludere. P. König ad tit. de Sent. & re judic. p. 1. n. 6.
- 6** Sed an procurator in causa possit concludere? Quæstum, & frequentius responsum est, quòd, si mandatum speciale, vel generale cum libera habeat, possit concludere; se-cus, quòd non. Ummius ad Proc. disp. 19. th. 1. n. 6. Dixi III. ulterioribus probationibus renuntiant. Hæc enim proprietas & proprius effectus Conclusionis in causa est, quòd ulterioribus probationibus viam & januam præcludat per cap. pastoralis §. de Causa possess. & propriet. in v. si renuntiatum fuerit aut conclusum &c. Et quamquam nonnulli crediderint, renuntiationem probationum, si strictè loquamur, ad solas testium productiones coarctari. Reiffenstuel ad tit. de Sent. & re judic. n. 51. attamen ex communi usu & praxi renuntiatio probationum excludit omnes probationes, & idem est, ac concludere in causa, & omnibus probationibus renuntiare. Gail. 1. obs. 107. n. 3. & 4.
- 5** Dixi IV. & causam controversam Judicis decisioni submittunt. Qui enim in Causa concludunt, id principaliter intendunt, ut, renuntiatione probationum jam facta, sine ulterioribus ambagibus ad causæ decisionem procedatur, hòc vel simili modò: Will hieml zum Urtheil geschlossen, und die Sache zu rechtlicher Entscheidung gestellt haben. Ummius de Proc. cit. disp. 19. th. 1. num. 2.

§. II.

Quotuplex sit Conclusio in causa?

- 10** Conclusio in causa dividitur I. in expressam & tacitam. Expressa dicitur, quando verbis expressis probationibus renuntiat, & sententia petitur. Tacita dicitur, quando non verbis, sed ipsò facto, tum probationibus renuntiat, tum sententia petitur. Alii aliter hanc divisionem explicant, referente & reclamante Ummio d. l. n. 3.
- 11** Dividitur II. in absolutam & conditionatam. Absoluta est, quæ sit absolute, eitra ullam reservationem. Conditionata est, quæ sit conditionatè, sub aliqua reservatione, v. g. si altera quoque pars concluderit, vel nisi quid novi emerit &c. im Fall nichts weiter vom Gegentheil vorgenommen / oder sonst nichts
- 12** Quem posteriorem concludendi modum P. 12 König cit. l. n. 3. primo concludenti præprimis commendat, quatenus ipsi, si quid ab adversario productum fuerit in medium, response vel refutatione dignum, respondere vel refutare liceat.
- 13** Dividitur III. in generalem & specialem. Generalis est, quando generaliter in tota causa concluditur. Specialis est, quando non in tota causa, sed tantum in articulo vel questione incidenti, v. g. in reprobande testis vel instrumenti, concluditur. Prior ad sententiam definitivam; posterior ad interlocutoriam viam præparat. Rosbach in processu cit. 70. n. 7.

§. III.

Qualis sit necessitas Conclusionis in causa?

- 14** Conclusionem in causa tam necessariam esse, ut omnia totum processum vitiet, docuerunt Felinus in cap. cum dilectus 9. de Fide instrum. n. 33. Menoch. de arbitrar. Jud. quasi. 35. n. 8. Ummius cit. disp. 19. th. 1. n. 1. König cit. l. n. 8. Quibus, tametsi refragetur Panormiti in cit. cap. n. 1. Gail. 1. obs. 107. n. 1. Mynsing. 3. obs. 17. n. 1. & seqq. favet quàm maximè Jus Commune partim in cap. quoniam 11. de Probat. ubi Conclusio in causa jubetur Actis judicialibus non minus quàm ci-
- tatio, probatio &c. inferi; partim in Clement. sape 2. de V. S. ubi, dum innuitur, Conclusio-nem in causa in processu summario omitti posse, tacitè denotatur, eam in ordinario processu necessariam esse. Unde etiam allegati Gail & Mynsinger ipsimet fatentur, in Camera Imperii nunquam pronuntiar sententiam, seu definitivam, seu interlocutoriam, nisi antecesserit in causa sit conclusum. Quamvis Romanæ Curie praxis aliud habeat, ut notat Caradin, de Luca de Judic. disp. 34. n. 6. & seqq. Quod si

17 Quodsi vel utraque vel alterutra pars in causa concludere recuaverit, Judex competentem terminum, ac de Jure Civili duos menses per intervalla distincta, de praxi verò arbitrarium tempus statuere potest, ad eò ut, terminò illò elapsò, perinde censeatur in causa

conclusum, ac si verbis expressis facta fuisset Nov. 115. cap. 2. indeque desumpta Authenti. jubemus Cod. de Judic. Engel. b. 1. n. 1. Rosbach cit. tit. 70. n. 9. Ummius cit. l. th. 2. n. 8. Bruneman. in proc. cap. 26. n. 3. D. Fleck in Biblioth. lib. 5. tit. 63. n. 5.

SECTIO II.

De Effectu Conclusionis in causa.

SUMMARI A.

18. Effectus Conclusionis in causa subjicitur. 19. Excludit probationes facti. 20. Non allegationes furis. 21. Nec instrumenta noviter inventa. 22. Nec ligat Judicem. 23. Excipiuntur

causæ Ecclesiarum, pupillorum, minorum &c. 24. Causa criminalis. 25. Causa matrimonialis. 26. Causa appellationis. 27. Causa exceptionum. 28. Notamen aliquod subjungitur.

§. I.

Quomodo per Conclusionem in causa probationes ulteriores excludantur?

18 Effectus Conclusionis in causa jam in n. 7. & seq. indigitatus est, quòd scilicet terminum ponat ulterioribus probationibus, & controversiam decisioni Judicis committat cap. postor alis 5. de Causa possess. & propriet. cap. cum dilectus 9. de Fide Instrum.

19 Verum hæc explicatio quòdam indiget. Inprimis enim solummodò probationes & allegationes facti excluduntur, non etiam allegationes Juris, Responsa Prudentum, & Consilia Doctorum, qualia post Conclusionem in causa jam plura à nostra Facultate Juridica petita & expedita sunt. Bald. in Auth. jubemus Cod. de Judic. n. 9. Felinus in cit. cap. cum dilectus 9. n. 26. Gail. d. 1. obs. 107. n. 13. Ra-

tio est: quia, sicut Jus Commune semper omnibus, & in omnibus patet: sic nulli & nullò tempore Juris allegatio excludi censetur.

Deinde, si, conclusio jam facta, primò nova reperiantur instrumenta, & quòd primò inventa sint, assertione jurata firmetur à producente, adhuc dum recipiuntur juxta cap. 10. n. 45.

Adhæc Conclusio in causa non afficit Judicem, sed solas partes concludentes; cum Judex, qui usque ad prolationem sententia debet universariari, possit interrogare de factò, quies dubitationis aliquid occurrat, prout differit S. Pontifex in cap. Joannes 10. de Fide instrument. Videatur Sabellus in summa §. Conclusio n. 2.

§. II.

Utràm in quibusdam causis post Conclusionem in causa probationes indistincte recipiantur?

33 Sunt quedam causæ privilegiatæ, in quibus probationes indistincte admittuntur, tamen conclusum in causa sit. Hujus fortis sunt I. causæ Ecclesiarum, pupillorum, & minorum, quæ dum alienò consilio, arbitrio, & curâ administrantur, id singulari sibi vendicant, quòd probationes omisse usque ad sententiam possint adduci, datò contra renuntiationem auxilii restitutionis in cap. auditis 3. de integr. Restit. ubi Gonzalez n. 7. l. minor 36. ff. de Minor. Ummius cit. disp. 19. th. 3. num. 13. Bruneman. de Proc. d. cap. 26. n. 9.

24 II. Causæ criminales, in quibus, si procedatur ad pœnam mortis vel corporis, eò magis exceptiones earumque probationes, post Conclusionem in causa, licet afferre, quò certius est, quòd ulteriori probationi, tamen si Reus voluisset, renuntiare non potuerit. Textus sunt in l. in criminalibus 1. §. 27. l. unius 18. §. 9. ibi: defensionem quòcumque tempore, postulante Reo, negari non oportet ff. de Quæstion. l. Divi fratres 27. in pr. ff. de Pan. König d. l. n. 17. Gail. d. obs. 107. n. 11.

25 III. Causæ matrimoniales, non tantùm quia propter arduitatem suam criminalibus æqui-

parantur, ubi ad dissolutionem Matrimonii agitur; sed etiam, quia post latam sententiam novæ probationes & allegationes admittuntur cap. lator 7. cap. consanguinei 11. de Sent. & re jud.

IV. Causæ appellationis, in quarum tractatione non est vetitum, illas probationes, quibus in priori instantia per Conclusionem in causa renuntiatum erat, proponere per textum in l. per hanc 4. Cod. de Tempor. appellat. quia renuntiatio, per Conclusionem in causa induta, ad solam primam instantiam, non item ad secundam, de qua partes cogitasse non presumuntur, se extendit. P. König cit. loc. num. 19. P. Wiestner ib. sub n. 10.

V. Causæ exceptionum, quæ, si post Conclusionem in causa possint opponi, per necessariam consequentiam etiam probari possunt. Vide Caput præcedens n. 53.

Planè si in his vel aliis causis post Conclusionem in causa & citationem ad sententiam, admittatur nova probatio, seu novorum jurium productio, Conclusio & citatio pro revocata & circumducta habetur, ad eò ut sententia, postmodum sine nova Conclusionem vel citationem pronuntiata, foret nulla, tamen si no-

va probatio cum protestatione sine præjudicio 149. n. 7. & seq. item dec. 238. n. 8. & seq. Sabellus ubi supra n. 3. Videatur tamen Card. de Luca de Judic. disc. 36. n. 21. & seq.

149. n. 7. & seq. item dec. 238. n. 8. & seq. Sabellus ubi supra n. 3. Videatur tamen Card. de Luca de Judic. disc. 36. n. 21. & seq.

CAPUT XII.

De Sententia, Rejudicata, & Executione.

Conclusionem in causa subsequitur immediatè Sententia; Sententiam, appellatione interposita non suspensam, excipit Res judicata; post rem judicatam Sententia Executioni mandatur. Nostrium igitur erit, in Sect. I. de Sententia; in II. de Re judicata; in III. de Executione, pro ratione instituti, tractare.

SECTIO I.

De Sententia.

SUMMARI A.

1. & seq. Recensentur varia acceptiones Sententia. 7. Assumitur propria. 8. Definitur Sententia. 9. Est pronuntiatio. 10. Judicis. 11. & seq. Causa in Judicium deducta. 13. Decisionem continens. 14. Sententia alia est definitiva; alia Interlocutoria. 15. Hæcque vel Simplex, vel Mixta. 16. Probat per hæc diversa. 17. Impugnatur. 18. & seq. Vindicatur. 20. & seq. Differentia inter Sententiam interlocutoriam & Definitivam. 22. Sententia alia est condemnatoria, alia dilatoria. 23. Sententiam fert Judex. 24. Si plures Judices sint, Jurisdictionem privativè habentes, neuter sine altero pronuntiare valet. 25. Secus, si Jurisdictionem cumulativè acceperint. 26. Quando dispar est numerus Judicum, plurium Sententia prævalet. 27. Quando par est, & Judices sunt delegati, neutra Sententia valet; aliter atque in Judicibus ordinariis. 28. Ratio discriminis. 29. Objectum principale Sententia est causa judicialis. 30. Minus principale sunt expensæ. 31. Non

quidem voluntaria. 32. Sed necessaria. 33. Qua refundenda à reterario litigatore. 34. & seq. Non item ab eo, qui probabilem litigandi causam obtinet. 40. An Judex teneatur expensas adjudicare? Remissive. 41. Ad objectum minus principale spectant etiam fructus. 42. Accessiones, damna, & interesse &c. 43. & seq. Requisita intrinseca Sententia enumerantur. 48. Obviens potissimum in Sententia definitiva. 49. Explicatur, quomodo Sententia debeat esse conformis libello? 50. & seq. Quomodo conformis fuit? 53. & seq. Quomodo certa? 57. & seq. Quomodo absoluta? 64. & seq. Quomodo absolutoria vel condemnatoria? 67. & seq. Non debet Judex reddere rationem Sententia. 70. & seq. Enumerantur extrinseca Sententia requisita. 76. In causis summaris non omnia locum habent. 77. & seq. Præsertim sessio pro tribunali. 79. & seq. Subjunguntur aliqua de citatione. 83. & seq. Inducuntur Effectus Sententia.

§. I.

Quid sit Sententia?

1 Sententia dicitur à sentiendo, habetque multas acceptiones. I. accipitur pro conjunctivo sensu, opinione, & mente, juxta communem loquendi morem, quò dicimus: hac legis sententia est. II. pro consensu & mutua voluntatum unione l. hujus edicti 1. §. 3. ff. de Publ. l. ult. §. sed ne quis Cod. Ubi & apud quem &c. III. pro consilio, dum sententiam dicere, & consilium dare, significant. IV. unum & idem l. ult. §. 1. ff. de Senator. pro modo aliquid faciendi, vel præstandi l. Divinus 7. in pr. ff. de integr. Restitut. V. pro ultima voluntate l. testamentum 1. ff. qui Testam. fac. poss. VI. pro decisione cause l. etiam 6. §. 1. ff. de Minor. l. Divi fratres 27. in pr. ff. de Pan. l. placez 3. Cod. de Pedan. Judic. german. Urtheil / Bescheid &c. Miller ad Struv. exercit. 44. th. 3. l. 4.

Postrema & propria acceptio rursus duplex est, latior & strictior. Latior est, quæ comprehendit quamlibet decisionem, sive per modum arbitrii, sive per modum decreti, sive per modum Judicii factam, per textum in l. si arbitri 2. Cod. b. t. l. ult. §. 2. ff. Quod metus causa l. qualem autem 19. in pr. ff. de recept. qui arbitri. Strictior est, quæ comprehendit solam decisionem, in forma Judicii à Judice factam; in qua Definitur Sententia, quòd sit pronuntiatio Judicis, causæ, in Judicium deductæ, decisionem continens.

Dixi I. pronuntiatio; quod verbum, generis locò, ad imitationem [C]ri in l. res judicata 1. ff. de Re judic. positum, Sententiam tum laudo arbitri, tum decreto Judicis æquiparat. Ummius ad Proc. disp. 19. th. 4. n. 19.

Dixi II. Judicis; quòd verbum, locò differentia